



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Ejusdem Paschalis epistola ad Ioannem Priorem Ecclesiæ beati Petri de  
Valeriis in Septimania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

testimonium efficaciter admittatur, nec propter ecclæsticæ clientelæ obnoxietatem, si alia non impediunt, eorum testimonium refutetur.

Ego Paschalis catholicae Ecclesiæ Episcopus subscripti.

Datum Beneventi per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij ix. Kalendas Februarij, Indictione sexta, incarnationis dominicæ anno \* M C X I V. pontificatus \* M C X I I I,  
autem Domini Paschalis secundi Papæ anno x i v.

*EIVSDEM PASCHALIS  
epistola ad Iohannem Priorem Ecclesiæ  
beati Petri de Valeriis in Septimania.*

P Aschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto Anno 1114.  
filio Iohanni Priori Ecclesiæ beati Petri de Valeriis ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu sagare, & earum maximè quæ sedi eidem tamquam jure proprio subjectæ sunt, quieti auxiliante Domino providere. Eapropter, fili carissime Iohannes, petitionibus tuis non immerito duximus anntiendum, ut Ecclesiam sancti Petri de Valeriis, cui per nostram institutionem Deo auctore præsides, apostolicæ sedis privilegio muniremus. Is siquidem locus, licet incultus ac solitarius, cùm ex traditione veteri beati Petri nomine haberetur insignis, à possessoribus loci, dominis videlicet Rainardo Amati & filiis ejus Bernardo & Ermengaudo, per manus Framaldi apostolicæ Ecclesiæ Presbyteri in jus ac possessionem sedis apostolicæ traditus est, ac deinceps multorum fidelium collationibus ampliatus. Ipsum itaque lo-

cum ab omnium mortalium potestate , invasione  
oppressione , ac gravamine liberum semper maneret  
decernimus , sicut in præsenti octava Indictione sum  
finibus ambitur , scilicet ab ipso colle super Guaidam  
inde super Montem Rotundum , & super initium  
vallis leporariæ , inde ad alodium de Bochet , &  
usque ad ipsum Portellum , inde ad Pertusatas &  
Guaitam , & super Embriacatas , & super campum  
Ardonis & super Malam Celataim usque ad mare  
Quicquid itaque infra hos fines continetur , cultum  
sive incultum , sive pascua , piscariae , stagna , salinæ ,  
cum decimis & primiciis seu aliis pertinentiis  
suis , totum integrum ac illibatum in usus præfatur  
Ecclesiæ beati Petri ac servorum Dei ibidem degeneratum  
conservetur . Quicquid præterea in præsenti  
octava Indictione eadem Ecclesia legitimè possideret  
vel in futurum largiente Deo , concessione Pontificum ,  
liberalitate Principum , vel oblatione fideliuum  
justè atque canonice poterit adipisci , firma vobis  
vestrisque successoribus & illibata permaneant .  
Laicos sanè seu Clericos seculariter viventes ad con-  
versionem suscipere nullius Episcopi vel Præpositi  
contradiccio vos inhibeat . Sepulturam vero ejus-  
dem loci omnino liberam esse decernimus , ut eorum  
qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extrema  
voluntati , nisi forte excommunicati sint , nullus  
obsistat . Ad hæc adicimus ut nulli Episcoporum fa-  
cultas sit locum ipsum interdictioni vel excommuni-  
cationi subicere vel aliquos ab ejus officiis & obla-  
tionibus prohibere , ut fratres iidei Romanae li-  
bertatis gratia potentes omnipotentis Dei servitus  
licentius vacare prævaleant . Chrisma , oleum sanctum ,  
consecrationes altarium , ordinationes Clericorum qui ad sacros sunt ordines promovendi , ab  
Episcopo in cuius diocesi estis accipietis ; si quidem  
gratiam atque communionem apostolicæ sedis ha-

buerit, & si ea gratis & sine pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quem maiueritis adire antistitem & ab eo consecrationum sacramenta suscipere; qui apostolicæ sedis fultus auctoritate quæ postulatur indulget. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Ad indicium autem perceptæ à Romana Ecclesia libertatis solidos quinque denariorum Lucensium quot annis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quælibet secularisve persona, hanc nostræ combituationis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultiōni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipient, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Paschalis catholicae Ecclesiæ Episcopus.

Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij quarto nonas Decembris, Indictione octava, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo decimo quarto, pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ decimo sexto.